

## Seminario di Filosofia medievale – 26 febbraio 2014

'Materia - Materies' in Agostino – Enrico Moro

### Handout

**T.1** = Agostino, *Gn. adu. Man.* I, v, 9, ed. Weber (CSEL 91)

[...] Sed illud quod dictum est, in principio fecit deus caelum et terram, caeli et terrae nomine uniuersa creatura significata est, quam fecit et condidit deus. [...] primo ergo materia facta est confusa et informis, unde omnia fierent quae distincta atque formata sunt, quod credo a Graecis chaos appellari. sic enim et alio loco legimus dictum in laudibus dei, 'qui fecisti mundum de materia informi: quod aliqui codices habent, 'de materia inuisa.

**T.2** = Agostino, *Gn. adu. Man.* I, vi, 10, ed. Weber (CSEL 91)

et ideo deus rectissime creditur omnia de nihilo fecisse, quia etiamsi omnia formata de ista materia facta sunt, haec ipsa materia tamen de omnino nihilo facta est. non enim debemus esse similes istis qui omnipotentem deum non credunt aliquid de nihilo facere potuisse, cum considerant fabros et quoslibet opifices non posse aliquid fabricare, nisi habuerint unde fabricent. et ligna enim adiuuant fabrum, et argentum adiuuat argentarium, et aurum aurificem, et terra figulum adiuuat ut possit perficere opera sua. si enim non adiuuentur ea materia unde aliquid faciunt, nihil possunt facere, cum materiam ipsam ipsi non faciant. non enim faber lignum facit, sed de ligno facit aliquid: sic et ceteri omnes huiusmodi opifices. omnipotens autem deus nulla re adiuuandus erat, quam ipse non fecerat, ut quod uolebat efficeret. si enim ad eas res quas facere uolebat, adiuuabat eum aliqua res quam ipse non fecerat, non erat omnipotens: quod sacrilegum est credere.

**T.3** = Agostino, *Gn. adu. Man.* I, vii, 12, ed. Weber (CSEL 91)

hanc autem adhuc informem materiam, etiam terram inuisibilem atque incompositam uoluit appellare, quia inter omnia elementa mundi terra uidetur minus speciosa quam cetera. inuisibilem autem dixit, propter obscuritatem; et incompositam, propter informitatem. eandem ipsam materiam etiam aquam appellauit, super quam ferebatur spiritus dei, sicut superfertur rebus fabricandis uoluntas artificis.[...] haec ergo nomina omnia, siue caelum et terra, siue terra inuisibilis et incomposita et abyssus cum tenebris, siue aqua super quam spiritus ferebatur, nomina sunt informis materiae: ut res ignota notis uocabulis insinuaretur imperitioribus; et non uno uocabulo, sed multis, ne si unum esset, hoc putaretur esse quod consueuerant homines in illo uocabulo intelligere. dictum est ergo caelum et terra, quia inde futurum erat caelum et terra. dicta est terra inuisibilis et incomposita et tenebrae super abyssum, quia informis erat, et nulla specie cerni aut tractari poterat, etiamsi esset homo qui uideret atque tractaret. dicta est aqua, quia facilis et ductilis subiacebat operanti, ut de illa omnia formarentur. sed sub his omnibus nominibus materia erat inuisa et informis, de qua deus condidit mundum.

**T.4** = Agostino, *Gn. litt. imp.* iii, 10, ed. Zycha (CSEL 28/1)

sed quaeri potest, utrum iam distincta et composita omnia dixerit caelum et terram an ipsam primo informem uniuersitatis materiem, quae in has formatas et speciosas naturas deo ineffabiliter iubente digesta est, caeli et terrae nomine nuncupauit. quamquam enim scriptum legerimus: 'qui fecisti mundum de informi materia, tamen etiam ipsam materiam cuiusmodicumque sit non possumus dicere non ab eo factam, ex quo omnia confitemur et credimus, ut etiam ipsa digestio et ordinatio singularum quarumque rerum formatarum et distinctarum mundus uocetur, ipsa uero materies caelum et terra ueluti semen caeli et terrae appellata sit et caelum et terra quasi confusum atque permixtum ab artifice deo accipiendis formis idoneum. hactenus de hoc quaesitum sit quod dictum est: 'in principio fecit deus caelum et terram; nihil enim horum temere adfirmari potuit.

**T.5** = Agostino, *Gn. litt. inp.* iv, 12, ed. Zycha (CSEL 28/1)

'et tenebrae erant super faciem abyssi. utrum subter abyssus erat et supra tenebrae, quasi iam loca distincta essent? an quoniam materiae adhuc confusio exponitur, quod etiam chaos Graece dicitur, ideo dictum est: 'tenebrae erant super abyssum, quia lux non erat? quae si esset, utique supra esset, quia esset eminentior et ea, quae sibi subiecta erant, inluminaret. et reuera qui diligenter considerat quid sint tenebrae, nihil aliud inuenit quam lucis absentiam. ita igitur dictum est: 'tenebrae erant super abyssum'<sup>a</sup>, ac si dictum esset: non erat lux super abyssum. quapropter haec materies, quae consequenti operatione dei in rerum formas ordinata distinguitur, appellata est terra inuisibilis et inconposita et profunditas carens luce: quae appellata est superius nomine caeli et terrae ueluti semen, ut iam dictum est, caeli et terrae, si tamen non caelum et terram dicendo uniuersitatem prius proponere uoluit, ut postea insinuata materie mundi partes exequeretur.

**T.6** = Agostino, *Gn. litt. inp.* iv, 13, ed. Zycha (CSEL 28/1)

[...] Sed primo fortasse caelum et terra appellata est, secundo terra inconposita et abyssus carens luce, tertio aqua non incongrue: ut primo nomine ipsius uniuersitatis, propter quam facta est materies de omnino nihilo, id est caeli et terrae materies uocaretur; secundo terrae inconpositae atque abyssi nomine insinuaretur informitas, quia inter omnia elementa terra est informior et minus praelucens quam cetera; tertio aquae nomine significaretur materies subiecta operi artificis; aqua enim mobilior est quam terra. et ideo propter operandi facilitatem et motum faciliorem subiecta materies artificis aqua magis uocanda erat quam terra.

**T.7** = Agostino, *Gn. litt. inp.* iv, 15, ed. Zycha (CSEL 28/1)

[...] cum enim tria ista dicimus unius rei nomina, materia mundi, materia informis, materia fabricabilis, horum primo nomini bene adiungitur caelum et terra, secundo obscuritas, confusio, profunditas, tenebrae, tertio cedendi facilitas, cui iam ad operandum spiritus superfertur artificis.

**T.8** = Agostino, *conf.* XII, iii, 3, ed. Verheijen (CCL 27)

[...] nonne tu, domine, 'docuisti hanc animam, quae tibi confitetur? nonne tu, domine, 'docuisti me, quod, priusquam istam informem materiam formares atque distingueres, non erat aliquid, non color, non figura, non corpus, non spiritus? Non tamen omnino nihil: erat quaedam informitas sine ulla specie.

**T.9** = Agostino, *conf.* XII, v, 5, ed. Verheijen (CCL 27)

cum in ea quaerit cogitatio, quid sensus attingat, et dicit sibi: non est intellegibilis forma sicut uita, sicut iustitia, quia materies est corporum, neque sensibilis, quoniam quid uideatur et quid sentiatur in inuisibili et inconposita non est, dum sibi haec dicit humana cogitatio, conetur eam uel nosse ignorando uel ignorare noscendo.

**T.10** = Agostino, *conf.* XII, vi, 6, ed. Verheijen (CCL 27)

ego uero, domine, si totum confitear tibi ore meo et calamo meo, quidquid de ista materia docuisti me, cuius antea nomen audiens et non intellegens narrantibus mihi eis, qui non intellegerent, eam cum speciebus innumeris et uariis cogitabam et ideo non eam cogitabam; foedas et horribiles formas perturbatis ordinibus uoluebat animus, sed formas tamen, et informe appellabam non quod careret forma, sed quod talem haberet, ut, si appareret, insolitum et incongruum auersaretur sensus meus et conturbaretur infirmitas hominis; uerum autem illud quod cogitabam non priuatione omnis formae, sed comparatione formosiorum erat informe, et suadebat uera ratio, ut omnis formae qualescumque reliquias omnino detraherem, si uellem prorsus informe cogitare et non poteram; citius enim non esse censebam, quod omni forma priuaretur, quam cogitabam quiddam inter formam et nihil nec formatum nec nihil, informe prope nihil. Et cessauit mens mea interrogare hinc spiritum meum plenum imaginibus formatorum corporum et eas pro arbitrio mutantem atque uariantem, et intendi in ipsa corpora eorumque mutabilitatem altius inspexi, qua desinunt esse quod

fuerant et incipiunt esse quod non erant, eundemque transitum de forma in formam per informe quiddam fieri suspicatus sum, non per omnino nihil: sed nosse cupiebam, non suspicari [...] mutabilitas enim rerum mutabilium ipsa capax est formarum omnium, in quas mutantur res mutabiles. et haec quid est? numquid animus? numquid corpus? numquid species animi uel corporis? si dici posset nihil aliquid et est non est, hoc eam dicerem; et tamen iam utcumque erat, ut species caperet istas uisibiles et compositas.

**T.11** = Agostino, *conf.* XII, xii, 15, ed. Verheijen (CCL 27)

Quibus consideratis, quantum donas, Deus meus, quantum me ad pulsandum excitas quantumque pulsanti aperis, duo reperio, quae fecisti carentia temporibus, cum tibi neutrum coaeternum sit: unum, quod ita formatum est, ut sine ullo defectu contemplationis, sine ullo intervallo mutationis, quamvis mutabile, tamen non mutatum tua aeternitate atque incommutabilitate perfruatur; alterum, quod ita informe erat, ut ex qua forma in quam formam vel motionis vel stationis mutaretur, quo tempori subderetur, non haberet. Sed hoc ut informe esset, non reliquisti, quoniam fecisti ante omnem diem in principio caelum et terram, haec duo quae dicebam. Terra autem invisibilis erat et incomposita et tenebrae super abyssum. Quibus verbis insinuatur informitas, ut gradatim excipiantur, qui omnimodam speciei privationem nec tamen ad nihil perversionem cogitare non possunt, unde fieret alterum caelum et terra uisibilis atque composita et aqua speciosa et quidquid deinceps in constitutione huius mundi non sine diebus factum commemoratur, quia talia sunt, ut in eis agantur vicissitudines temporum propter ordinatas commutationes motionum atque formarum.

**T.12** = Agostino, *conf.* XII, xiii, 16, ed. Verheijen (CCL 27)

Hoc interim sentio, Deus meus, cum audio loquentem Scripturam tuam: In principio fecit Deus caelum et terram; terra autem erat invisibilis et incomposita et tenebrae erant super abyssum, neque commemorantem, quoto die feceris haec. Sic interim sentio propter illud caelum caeli, caelum intellectuale, ubi est intellectus nosse simul, non ex parte, non in aenigmate, non per speculum, sed ex toto, in manifestatione, facie ad faciem; non modo hoc, modo illud, sed, quod dictum est, nosse simul sine ulla vicissitudine temporum, et propter invisibilem atque incompositam terram sine ulla vicissitudine temporum, quae solet habere modo hoc et modo illud, quia ubi nulla species, nusquam est hoc et illud; propter duo haec, primitus formatum et penitus informe, illud caelum, sed caelum caeli, hoc uero terram, sed terram invisibilem et incompositam, propter duo haec interim sentio sine commemoratione dierum dicere Scripturam tuam: In principio fecit Deus caelum et terram. [...].

**T.13** = Agostino, *conf.* XIII, ii, 3, ed. Verheijen (CCL 27)

Quid te promeruit materies corporalis, ut esset saltem invisibilis et incomposita, quia neque hoc esset, nisi quia fecisti? Ideoque te, quia non erat, promereri ut esset non poterat. Aut quid te promeruit inchoatio creaturae spiritalis, ut saltem tenebrosa fluitaret similis abisso, tui dissimilis, nisi per idem uerbum converteretur ad idem, a quo facta est, atque ab eo illuminata lux fieret, quamvis non aequaliter tamen conformis formae aequali tibi?

**T.14** = Agostino, *Gn. litt.* I, iv, 9, ed. Zycha (CSEL 28/1)

an cum primum fiebat informitas materiae siue spiritalis siue corporalis, non erat dicendum: 'dixit deus: fiat, quia formam uerbi semper patri cohaerentis, quo sempiterno dicit deus omnia, neque sono uocis neque cogitatione tempora sonorum uolente, sed coaeterna sibi luce a se genitae sapientiae non imitatur imperfectio, cum dissimilis ab eo, quod summe ac primitus est, informitate quadam tendit ad nihilum, sed tunc imitatur uerbi formam semper atque incommutabiliter patri cohaerentem, cum et ipsa pro sui generis conuersione ad id, quod uere ac semper est, id est ad creatorem suae substantiae, formam capit et fit perfecta creatura? ut in eo, quod scriptura narrat: 'dixit deus: fiat, intellegamus dei dictum incorporeum in natura uerbi eius coaeterni, reuocantis ad se imperfectionem creaturae, ut non sit informis, sed formetur secundum singula, quae per ordinem exequitur. [...].

**T.15** = Agostino, *Gn. litt.* I, xv, 29-30, ed. Zycha (CSEL 28/1)

non quia informis materia formatis rebus tempore prior est, cum sit utrumque simul concreatum, et unde factum est, et quod factum est - sicut enim uox materia uerborum est, uerba uero formatam uocem indicant, non autem qui loquitur prius emittit informem uocem, quam possit postea conligere atque in uerba formare: ita et deus creator non priore tempore fecit informem materiam et eam postea per ordinem quarumque naturarum quasi secunda consideratione formauit; formatam quippe creauit materiam - sed quia illud, unde fit aliquid, etsi non tempore, tamen quadam origine prius est, quam illud, quod inde fit, potuit diuidere scriptura loquendi temporibus, quod deus faciendi temporibus non diuisit. [...] non itaque dubitandum est ita esse utcumque istam informem materiam prope nihil, ut non sit facta nisi a deo et rebus, quae de illa formatae sunt, simul concreata sit.

**T.16** = Agostino, *Gn. litt.* VII, xxvii,39, ed. Zycha (CSEL 28/1)

frustra ergo iam quaeritur, ex qua ueluti materie facta sit anima, si recte intellegi potest in primis illis operibus facta, cum factus est dies; sicut enim illa, quae non erant, facta sunt, sic et haec inter illa. quodsi et materies aliqua formabilis fuit, et corporalis et spiritalis - non tamen et ipsa instituta nisi a deo, ex quo sunt omnia - quae quidem formationem suam non tempore, sed origine praecederet, sicut uox cantum, quid nisi de materia spiritali facta anima congruentius creditur?

**T.17** = Agostino, *u. rel.* xviii, 36, ed. Daur (CCL 32)

«quapropter etiam si de aliqua informi materia factus est mundus, haec ipsa facta est de omnino nihilo. nam et quod nondum formatum est, tamen aliquo modo, ut formari possit, inchoatum est, dei beneficio formabile est. bonum est enim esse formatum. nonnullum ergo bonum est et capacitas formae et ideo bonorum omnium auctor, qui praestitit formam, ipse fecit etiam posse formari. ita omne quod est, in quantum est, et omne quod nondum est, in quantum esse potest, ex deo habet. quod alio modo sic dicitur: omne formatum, in quantum formatum est, et omne, quod nondum formatum est, in quantum formari potest, ex deo habet. nulla autem res obtinet integritatem naturae suae, nisi in suo genere salua sit. ab eo est autem omnis salus, a quo est omne bonum, et omne bonum ex deo. salus igitur omnis ex deo».

**T.18** = Agostino, *lib. arb.* II, xx, 54, ed. Green - Daur (CCL 29)

[...] ita enim nulla natura occurrit quae non sit ex deo. omnem quippe rem, ubi mensuram et numerum et ordinem uideris, deo artifici tribuere ne cuncteris. unde autem ista penitus detraxeris, nihil omnino remanebit, quia etsi remanserit aliqua formae alicuius inchoatio, ubi neque mensuram neque numerum neque ordinem inuenias - quia ubicumque ista sunt, forma perfecta est -, oportet auferas etiam ipsam inchoationem formae, quae tamquam materies ad perficiendum subiacere uidetur artifici. si enim formae perfectio bonum est, nonnullum iam bonum est et formae inchoatio. ita detracto penitus omni bono non quidem nonnihil, sed nihil omnino remanebit. omne autem bonum ex deo, nulla ergo natura est quae non sit ex deo. (CCL 29).

**T.19** = Agostino, *f. et symb.* ii, 2, ed. Zycha (CSEL 41).

[...] et si ipsum caelum et terram, id est mundum et omnia, quae in eo sunt, ex aliqua materia fecerat, sicut scriptum est: 'qui fecisti mundum ex materia inuisa, uel etiam 'informi, sicut nonnulla exemplaria tenent, nullo modo credendum est illam ipsam materiam, de qua factus est mundus, quamuis informem, quamuis inuisam, quocumque modo esset, per se ipsam esse potuisse tamquam coaeternam et coaeuam deo; sed quemlibet modum suum, quem habebat, ut quoquo modo esset et distinctarum rerum formas posset accipere, non habebat nisi ab omnipotente deo, cuius beneficio est res non solum quaecumque formata, sed etiam quaecumque formabilis. inter formatum autem et formabile hoc interest, quod formatum iam accepit formam, formabile autem potest accipere. sed qui praestat rebus formam, ipse praestat etiam posse formari, quoniam de illo et in illo est omnium speciosissima species incommutabilis, et ideo ipse unus est, qui cuilibet rei non solum, ut pulchra

sit, sed etiam ut pulchra esse possit adtribuit. Quapropter rectissime creditur omnia deum fecisse de nihilo: quia etiam si de aliqua materia factus est mundus, eadem ipsa materia de nihilo facta est, ut ordinatissimo dei munere prima capacitas formarum fieret, ac deinde formarentur quaecumque formata sunt. hoc autem diximus, ne quis existimet contrarias sibi esse diuinarum scripturarum sententias, quoniam et omnia deum de nihilo fecisse scriptum est et mundum esse factum de informi materia.

**T.20** = Agostino, *c. Faust.* XX, 14, ed. Zycha (CSEL 25/1)

sed cur non etiam propter ὕλην, quae in nonnullis libris paganorum frequentatur, parem uos cum paganis religionem habere dixistis? quin immo propter hoc inparem longeque dissimilem uolulistis intellegi, quia hoc nomine mali principium ac naturam theologus uester appellat. in quo quidem inperitia uestra magna deprehenditur, quia nec quid sit ὕλη scitis et hoc rei uocabulo, quam penitus ignoratis, etiam inflari uelut docti adfectatis. ὕλην namque Graeci cum de natura disserunt, materiem quandam rerum definiunt nullo prorsus modo formatam, sed omnium corporalium formarum capacem, quae quidem in corporum mutabilitate utcumque cognoscitur; nam per se ipsam nec sentiri nec intellegi potest. uerum in hoc errant quidam gentilium, quod eam tamquam coaeternam deo coniungunt, ut haec ab illo non sit, quamuis ab illo formetur: quod alienum esse a ueritate ipsa ueritas docet. ecce tamen quibus paganis de hac ipsa ὕλη inuenimini esse consimiles, quod eam uos quoque suum habere principium nec ex deo esse perhibetis, et in hoc uos dispare esse dicebatis nescientes, quid dicatis. in illo uero, quod nulla est huic ὕλη forma propria nec nisi a deo formari potest, nostrae illi ueritati consentiunt, a uestra autem falsitate dissentiunt: qui nescientes, quid sit ὕλη, id est, quid sit rerum materies, gentem tenebrarum eam dicitis, ubi non solum distinctas quinque generibus innumerabiles corporum formas, uerum etiam mentem constituitis horum corporum formatricem, et - quod est inperitius uel potius dementius - ipsam magis mentem dicitis ὕλην, quam non formari, sed formare perhibetis. nam si esset ibi mens quaedam formans et elementa corporea, quae formarentur, illa elementa dicenda esset ὕλη, id est materies, quam formaret eadem mens, quam mentem principium mali esse uultis. hoc si diceretis, non quidem multum erraretis in eo, quod est ὕλη, nisi quod ipsa quoque elementa quamuis in alias formas formanda, tamen quia iam elementa essent, et speciebus propriis distinguerentur, ὕλη non essent, quia illa est prorsus informis. [...].

**T.21** = Agostino, *nat. b.* 18, ed. Zycha (CSEL 25/2)

neque enim uel illa materies, quam ὕλην antiqui dixerunt, malum dicenda est. non eam dico, quam Manichaeus ὕλην appellat dementissima uanitate nesciens, quid loquatur, formatricem corporum - unde recte illi dictum est, quod alterum deum inducat. nemo enim formare et creare corpora nisi deus potest. neque enim creantur, nisi cum eis modus et species et ordo subsistit, quae bona esse nec esse posse nisi a deo puto quia iam etiam ipsi confitentur - sed ὕλην dico quandam penitus informem et sine qualitate materiem, unde istae quas sentimus qualitates formantur, ut antiqui dixerunt. hinc enim et silua Graece ὕλη dicitur, quod operantibus apta sit, non ut aliquid ipsa faciat, sed unde aliquid fiat. nec ista ergo ὕλη malum dicenda est, quae non per aliquam speciem sentiri, sed per omnimodam speciei priuationem cogitari uix potest. habet enim et ipsa capacitatem formarum; nam si capere impositam ab artifice formam non posset, nec materies utique diceretur. porro si bonum aliquid est forma, unde quia ea praeualent, formosi appellantur, sicut a specie speciosi, procul dubio bonum aliquid est etiam capacitas formae, sicut quia bonum est sapientia, nemo dubitat. quod bonum sit capacem esse sapientiae. et quia omne bonum a deo, neminem oportet dubitare etiam istam, si qua est, materiem non esse nisi a deo (CSEL 25/2).

### **Bibliografia Scelta**

- Baltes M., *Elementum*, in “*Augustinus-Lexikon*” (vol. 2), Schwabe, Basel 2010, pp. 767-765.
- Bettetini M., *Pensare il nulla, dire la materia: libertà ed ermeneutica nel XII libro delle Confessioni*, in “*Il mistero del male e la libertà possibile: Linee di antropologia agostiniana. Atti del VI Seminario del Centro di Studi Agostiniani di Perugia (a cura di L. Alici u.a.)*”, Roma 1995, pp. 139-149.
- Du Roy, *L'intelligence de la foi en la Trinité selon Saint Augustin. Genèse de sa théologie trinitaire jusqu'en 391*, Études Augustiniennes, Paris 1966.
- Pelland G. (1972), *Cinq études sur le début de la Genèse*, Desclée-Bellarmin, Paris-Montréal.
- Pépin J., *Recherches sur le sens et les origines de l'expression caelum caeli dans le livre XII des Confessions de s. Augustin*, in *Bullettin du Cange*, 23 (1953), pp. 185-274 (ried. in Id., *Ex Platonicorum Persona*, Hakkert, Amsterdam 1977, pp. 41-130).
- Theiler W. (1933), *Porphyrios und Augustin*, in *Schriften des Königsberger gelehrten Gesellschaft*, Niemeyer, Halle, pp. 1-74 (ried. in: Id., *Forschungen zum Neuplatonismus*, De Gruyter, Berlin 1966, pp. 160-251).
- Tornau Ch., *Materie*, in “*Reallexikon für Antike und Christentum*” 24 (2012), 346-410.
- Van Riel G., *Augustine's Exegesis of «Heaven and Hearth» in Conf. XII: Finding Truth amidst Philosophers, Heretics and Exegetes*, in “*Quaestio*” 7 (2007), pp. 191-228.
- Van Winden J., *Once again caelum caeli. Is Augustine's Argument in Confessions Consistent?*, in *Collectanea Augustiniana, Mélanges T.J. van Bavel*, (= *Augustiniana XL-XLI*), 1991, pp. 905-111, (ried. in Id., *Archè: a Collection of Patristic Studies*, Leiden, Brill 1997, pp. 151-157).
- Vannier M.-A., “*Creatio*”, “*conversio*”, “*formatio*” chez saint Augustin, Editions universitaires, Friburg-Suisse 1991.
- Ead. *Materia*, in “*Augustinus Lexikon*” (vol. 3), Schwabe, Basel 2011, pp. 1199-1203.